



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

29. Gaudium charitatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

## PASSUS XXIX.

## Gaudium Charitatis.

## TEXTUS.

*Gaudete in Domino semper,  
iterum dico, gaudete. Ad  
Phil. c. 4. 4.*

## Cognitio.

**G**Audium est affectio animi, alicujus boni presentis opinione concepta. Hanc animi seu voluntatis affectione lætamur & exultamus de Dei in nobis presentia, gaudemus de infinitis ejus perfectionibus; item de donis & bonis, quæ ad Dei gloriam, nobis & aliis, ab eo conferuntur. Habent quidem & impii gaudium suum; sed falsum ac malum, quia est de malo; at gaudium hoc spirituale non datur impiis, sed amicis; estque verum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cujus comparatione, omnis alia jucunditas, mœror est; omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum est; omne pulchrum fœdum est; omne denique, quod delectare potest, molestum.

## Actus:

1. Lætari de præsentia Dei , quæ est in omnibus rebus , præsertim in Ecclesia, quam regit.
2. Lætari de Incarnatione Filii Dei, & admirabili unione Verbi cum Humanitate, ejusdem exaltatione , sessione ad dexteram Patris, & cultu ab omni creatura.
3. Lætari de reali ac vera præsentia Christi, per Eucharistiæ Sacramentum.
4. Gaudere de inspiratione Spiritûs Sancti, quâ movemur ad existimandum , peccata nobis , per usum Sacramentorum, esse remissa.
5. Gaudere de præsentia Dei in nobis , & de eo , quòd per gratiam simus Filii Dei , & hæredes regni cœlestis.
6. Gaudere de promissa nobis beatitudine, & de spe , quòd aliquando eam accepturi simus.
7. Exultare de omnibus bonis , & perfectionibus Dei , tanquam de bonis amantissimi Patris nostri, qui nos fecit, & ex immensa dilectione in filios adoptavit.
8. Exultare de bonis proximorum , tanquam de bonis fratrum nostrorum, quos sicut nos ipsos diligimus.
9. Conari causas veri gaudii assequi; scilicet conscientie puritatem, Christi imitationem, & cum voluntate Divina conformitatem.

*Dilectio.*

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, qui induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me. Quasi sponsam decoravit me coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Isai. c. 61. 10. Gaudens gaudebo in Domino, ut gloriam ejus hac ratione promoveam: ut proximum lucrer & ædificem; ut opera ipsi exhibita, gratiora reddam: hilarem enim datorem diligit Deus: ac denique ut ad perseverantiam me hac ratione disponam: cum nullum violentum sit perpetuum.

*Petitio.*

Fons omnis gaudii effusissime, Domine Deus meus, obsecro Te, ut quinos ex Te rivulos in animam meam derives, ex quibus vera lætitia scaturiat. Quales sunt: 1. Mentis puritas. 2. Animæ sanitas. 3. Spiritûs libertas. 4. Cordis tranquillitas. 5. Perpetua cum voluntate Divina conformitas. His obtentis; ingenti lætitiâ anima mea perfundetur.

*Aspirationes.*

I. Latamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Psal. 31. 11.

II. *Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis; redde mihi letitiam salutaris tui; ut qua spondes, diligenda percipiam.* S. Aug. Med. c. 2.

III. *Tadeat me gaudere sine Te; & delectet contristari pro Te. Sit mihi Nomen tuum refocillatio; & memoria Tuus consolatio* S. Aug. Med c. 7.

## P A S S U S XXX.

Pax Charitatis.

T E X T U S.

*Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Joan. c. 14. 27.

*Cognitio.*

**P**A<sup>X</sup> est concordantium in bono animorum, ordinata tranquillitas. Estque triplex, cum DEO, cum proximo, cum seipso. Pax cum Deo consistit in perfecta voluntatis humanæ cum Divina, consensione. Pax cum proximo, in tranquilla hominum inter se conversatione & cohabitatione. Pax cum seipso, in omnimoda vitiorum & passionum subjugatione.

Actus: